



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio
incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

§. I. Sententia affirmans virtutes morales per se acquisibiles, Christo fuisse
in primo instanti suæ conceptionis infusas ut verior & probabilior eligitur

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)

in Beelzebuth eieceret damonia, respondit: Ego A
Damonium non habeo &c. ubi Theophilactus ait,
Christum honorasse Patrem suum ulciscendo. Dei eti-
am injuriam propulsavit, cum facto ex funiculis
flagello, de templo vendentes & ementes eiecit:
Ergo &c.

82. Major difficultas est de eutropelia, quæ cum
circa jocos & ludos ut propriam materiam verse-
tur, sicut docet S. Thomas 2. 2. quæst. 168. art. 2.
non videtur fuisse in Christo, qui jocos & ludos
nunquam exercuit. Nihilominus dicendum est,
etiam istam virtutem in Christo fuisse: Tum quia
sicut materia liberalitatis sunt pecunie non so-
lum ut distribuendæ, sed etiam ut omnimodè
contemnendæ: ita dici potest materiam eutrope-
liæ esse jocos & ludos, non solum ut exercendos
sed etiam ut contemnendos: Christus verò joco-
rum & ludorum exercitum contempsit. Tum
etiam, quia esto joci & ludi ut exercendi, sint ma-
teria eutropeliæ, & Christus eos efficaciter nun-
quam elegerit, absolute tamen electio efficax il-
lorum, Christo non repugnabat, & de facto ha-
buit actum conditionatum quo jocos & ludos
sub conditione elegit, quod sufficiens est ut ipsi
talis virtus conveniat. Ratio autem ob quam non
elegit jocos efficaciter, est quia de rebus magnis
agentem, ut Christus revera agebat, joci & ludi
non decent. Ex quo infert Cajetanus, graviter
peccare prædicatores, qui prædicationi Euange-
lica ridicula & jocos admiscunt, quia ut ait S.
Doctor loco citato, in resp. ad 1. *Doctrina sacra
maximus rebus intendit, secundum illud Proverb. 8. Au-
dite quoniam de rebus magnis locutura sum.*

83. Quarta etiam pars corollarii, quæ asserit phi-
lotimiam fuisse in Christo, breviter suadet. Ei
non repugnat habitus virtutis Philotimie, cui
proprius illius actus non repugnat: At Christo
proprius actus Philotimie non repugnabat: Ergo
nec habitus illius. Major patet, Minor probatur.
Proprius actus Philotimie est parvos honores
appetere, ut docet S. Thomas 1. 2. qu. 60. art. 5.
& 2. 2. qu. 129. art. 2. & qu. 130. art. 2. ad 2. Sed
hoc ab intrinseco non repugnabat Christo, licet
enim ejus actibus ex dignitate personæ magni
honores deberentur, ex aliis tamen capitibus po-
terant parvi honores illis actibus deberi, subin-
deque poterat Christus eos acceptare, eosque
de facto accepit, cum turbæ clamarent: *Osana
filio David, Benedictus qui venit in nomine Domini.*
Ergo proprius actus philotimie non repugna-
bat Christo, sed ipsum aliquando exercuit.

84. Tandem probatur ultima pars in qua dicitur
non fuisse in Christo virtutem piæ affectionis ad
credendum: Tum quia in voluntate viatoris ad
piam illam affectionem eliciendam non requiri-
tur virtus seu qualitas habitualis, sed auxilium
actuale sufficit, ut in Tractatu de Virtutibus theo-
logis probatum est. Tum etiam, quia esto talis
virtus admittenda esset, illa tamen non potest re-
periri nisi in eo in quo reperitur fides, cum essen-
tialiter ordinetur ad determinandum intellectum
ad credendum: At ista non potuit esse in
Christo, ut primâ conclusione osten-
dimus: Ergo nec illa.

Disp. 6.
Art. 1.

* *

*

ARTICULUS IV.

*Utrum Christus virtutes morales per se acqui-
sibiles, propriis actibus comparaverit, vel
eas per infusionem acceperit?*

SUPPOSITO quòd Christus habuerit virtutes mo-
rales & per se acquisibiles, ut articulo præ-
cedenti ostensum est, restat explicandus modus
quo illas accepit, & declarandum, an eas per infu-
sionem habuerit in primo instanti suæ concep-
tionis, sicut docent communiter Theologi de huius-
modi, an verò eas propriis actibus sibi compara-
verit? Hoc enim in Schola Thomistarum proble-
maticum est, aliis asserentibus virtutes illas fuisse
à Christo propriis actibus acquisitas; aliis e con-
tra asserentibus illas fuisse infusas animæ Christi
à primo instanti conceptionis. Primum tenent
Cabrera, Nazarius, Aravius, Cipullus, & Har-
ra, in manuscriptis de Incarnatione: alterum de-
fendit à Medina, Alvare, Vincencio Alvarado,
Joanne à S. Thoma, & ab illustrissimo Oxoniensi
Episcopo, in manuscripto ejusdè tractatus. Hæc
etiam adherent sententiæ Suarez, & Vazquez,
& alii ex modernis; illæque dicendi modus videtur
probabilior, & dignitati ac perfectioni animæ
Christi favorabilior. Unde sit

§. I.

*Sententia affirmans virtutes morales per se acqui-
sibiles, Christo fuisse in primo instanti suæ con-
ceptionis infusas, ut verior & proba-
bilior eligatur.*

Dico igitur multò probabilior est virtutes mo-
rales per se acquisibiles, Christo fuisse à pri-
mo instanti suæ conceptionis infusas.

Hanc conclusionem probat Suarez hic disp. 9.
sect. 2. hoc discursu. Adamo, quia erat caput na-
rale omnium hominum, fuerunt à primo transfor-
mationis instanti infusæ per accedens omnes vir-
tutes morales: Sed Christus fuit multò perfectior
caput totius generis humani, quam Adamus: Er-
go à fortiori fuerunt illi infusæ omnes virtutes
morales à primo conceptionis instanti.

Sed hoc argumentum non urget, ut enim docet
D. Thomas 1. p. quæst. 94. art. 3. Adamo à
primo instanti fuerunt infusæ per accedens spe-
cies representativæ omnium, & tamen ut idem S.
Doctor hic quæst. 9. art. 4. asserit, species illæ non
fuerunt infusæ Christo à primo instanti concep-
tionis: Ergo ex Adamo ad Christum non potest
efficax argumentum delumi. Unde

Vazquez conclusionem nostram aliter suade-
nitur, hoc nimirum argumento: Si Christus ab
initio conceptionis non habuisset omnes virtutes
morales infusas, difficultatem habuisset in ordine
ad bonum honestum: At inconveniens videtur
difficultatem istam in voluntate Christi admi-
nistrare: Ergo concedendæ sunt virtutes per se acqui-
sibiles in anima Christi Domini ab instanti concep-
tionis, per quas summam promptitudinem ad
bonum honestum habet.

Sed hæc etiam ratio, nisi aliunde juvetur, non vi-
detur efficax: Nam licet inconveniens sit volun-
tatem Christi Domini habere positivam difficultatem
ortam ex habitu vitioso, vel ex passionibus
inordinatis appetitibus, quod tamen difficultatem
negativam habere, ortam ex carentia habituum,
non videtur inconveniens, nec à prædicto ducitur.

re probatur, quod tamē necessarii erat ostendere. **A** Confirmatur argumento ad hominem: Intellectus Christi non habuit ab initio conceptionis scientias omnes naturales, & consequenter difficultatem negativam habebat in ordine ad verum quod est obiectum intellectus, ut fatetur Vazquez, neq; hoc inconveniens reputat: Ergo nec inconveniens debet censere, quod voluntas Christi difficultatem negativam in ordine ad bonum habuerit.

His ergo argumentis prætermisissis, unica, ut existimo, suppetit ratio quā nostrā sententiā probabilis efficaciter suadet, & quā ab illustrissimo Episcopo Oxoniensi, loco citato, sub hac forma proponitur. Christo debemus concedere id quod dignius & perfectius est: Sed habuisse à primo instanti conceptionis infusus omnes virtutes morales, dignius & perfectius est, quā illas decursu temporis suis actibus comparasse. Ergo aliter debemus fuisse omnes virtutes morales per accidens Christo infusus in primo instanti conceptionis. Major est certa, ex hoc enim principio inferit S. Thomas infra quæst. 19. art. 3. Christum non meruisse gratiam habitualement, nec beatitudinem animæ, quia ad hoc requirebatur, quod illis aliquando caruisset: dignius autem & perfectius est gratiam & beatitudinem semper habere, quā eis carere per tempus, & per meritum comparare.

Minor verò probatur ex doctrina ejusdem S. Doctoris ibidem: Quando perfectionis carentia magis dignitati subiecti præjudicat, quā per illius acquisitionem accrescat, melius est illam à primo instanti habere ab alio, quā habere illam alio, & per aliquod tempus eā carere. Sed virtutum moralium carentia, magis præjudicat dignitati Christi, quā accrescat ex illarum acquisitione; Ergo melius & perfectius est, habuisse illas à primo instanti infusus, quā decursu temporis propriis actibus comparare. Major patet. Minor verò in qua est difficultas, ostenditur ex alia doctrina quam tradit idem Doctor Angelicus 1. 2. quæst. 56. artic. 3. in corp. ubi hoc inter virtutes morales & purè intellectuales statuit distinctionem, quod illæ sunt virtutes simpliciter, quia non solum præbent facultatem agendi, sed etiam bene agendi, beneque utendi habitū facultate, ex quo fit quod habentem simpliciter bonum reddunt: virtutes autem purè intellectuales, solum dant facultatem agendi, non autem bene utendi facultate habitū; unde non reddunt habentem simpliciter bonum, nec sunt virtutes simpliciter, sed tantum secundum quid. Ex qua doctrina sic probatur Minor. Ex carentia virtutum moralium acquisitionem redderetur Christus non bonus simpliciter, cum per illas bonus simpliciter constituitur: Sed Christum non esse bonum simpliciter, magis ejus dignitati præjudicat, quā ei accrescat ex illarum acquisitione habita per proprios actus, ex quā tantum redditur bonus secundum quid, scilicet quoad modum habendi illas virtutes à se: Ergo istarum virtutum carentia magis dignitati Christi præjudicat, quā proveniat dignitatis ex illarum virtutum acquisitione per proprios actus habita.

Respondent Adversarii: virtutes per se acquisitas non fuisse necessarias in Christo, ut per illas redderetur bonus simpliciter, cum per gratiam unionis, & gratiam habitualement, ac virtutes infusas, bonus simpliciter foret, quāvis virtutibus acquisitis careret.

Sed contra: Quāvis humanitas Christi ex vi

gratiae unionis reddatur sancta simpliciter, sanctitate ordinis hypostatici, eminenter continente quāvis aliam sanctitatem, quia tamē gratia habitualis præstat sanctitatem supernaturalis ordinis, inconveniens reputat D. Thomas infra quæst. 19. artic. 3. quod eā Christus aliquando caruerit, censetque quod gratia habitualis carentia, magis præjudicat dignitati Christi, quā ex illius merito accrescat. Ergo quāvis per gratiam & virtutes infusas constituitur Christus bonus simpliciter, bonitate ordinis supernaturalis; quia tamen virtutes per se acquisitæ præstant bonitatem simpliciter ad ordinem naturæ spectantem, inconveniens debet reputari, quod Christus illis aliquando caruerit, & sentiendum est, illarum carentiam magis perfectioni Christi præjudicare, quā ex illarum acquisitione ei dignitatis & perfectionis proveniat.

Confirmatur & magis illustratur hæc ratio: Virtutes per se acquisitæ, etsi non constituant subiectum bonum simpliciter, bonitate omnis ordinis, dant tamen bonitatem simpliciter in ordine naturali: Ergo licet ex illarum carentia non reddatur subiectum non bonum simpliciter in omni ordine bonitatis, redditur tamen non bonum simpliciter bonitate ordinis naturalis: Sed non solum est inconveniens, Christum aliquando fuisse non bonum simpliciter bonitate ordinis supernaturalis; sed etiam hac bonitate supposita, inconveniens est quod fuerit non bonus simpliciter bonitate morali ad ordinem naturæ spectante: Ergo ut hoc inconveniens vitemus, constituendæ sunt in Christo à primo instanti conceptionis virtutes per se acquisitæ, per quas bonus simpliciter in tali ordine constituitur, & carentia bonitatis simpliciter in ordine naturali excludatur.

Dices cum Herrera, & Cabrera: hoc argumento suaderi quidem, Christum virtutes morales acquisitas ab initio conceptionis habuisse, sed non probari quod fuerint illi tunc per accidens infusæ, cum potuerit illas in primo instanti conceptionis propriis actibus comparare.

Sed contra: Christus non potuit habere illas virtutes in primo instanti conceptionis per proprios actus; Ergo si illas ab initio conceptionis habuit, per infusionem a Deo illas recepit, non verò per proprios actus acquisivit. Consequentia manifesta est. Antecedens probatur. Christus in primo conceptionis momento non potuit se exercere in actibus omnium virtutum moralium; Sed hoc necessarium erat, ut virtutes omnes propriis actibus acquireret: Ergo Christus non potuit omnes virtutes morales per proprios actus acquirere in primo instanti conceptionis. Minor est evidens. Major probatur: Tum quia actus intellectus & voluntatis Christi erant dependentes à sensibus, qui operantur per motum corporalem, & dependentem à motu alterationis motorum autem non potest esse in instanti. Tum etiam, quia non potuit Christus actus omnium virtutum moralium elicere, nisi præsentibus haberet per intellectum & cognitionem proprias materias illarum virtutum, simulque per naturalem prudentiam de omnibus agendis circa illarum objecta judicaret, ac denique electiones intensissimas circa illa eliceret: Sed evidens est, quod hæc omnia in unico instanti, & in primo conceptionis momento, Christus præstare non potuit; unde enim habuisset species tot rerum & objectorum sensibilium, præsertim iuxta matris

Zzz 3 utrum

uterum clausus, ubi certissimum est tot objecta sensibilia quorum species reciperet in promptu non habuisse? Nec fuerunt tunc illi species istae infusae a Deo, ut docet S. Thomas infra quæst. 9. art. 4. Ergo Christus non potuit in primo conceptionis momento actus omnium virtutum moralium elicere.

92. Nec valet si dicas, quod licet Christus hoc non potuerit connaturaliter, & de potentia ordinaria, bene tamen miraculose & supernaturaliter, ac de potentia absoluta. Non valet, inquam, Tum quia nullum adest fundamentum astringendi hoc miraculum. Tum etiam, quia ideo Adversarii volunt Christum actus omnium virtutum moralium in primo conceptionis momento elicuisse, ut defendant virtutes morales per se acquiribiles, fuisse à Christo ab initio conceptionis connaturaliter habitas: Sed ad connaturalem illarum acquisitionem, miraculosa actuum elicentia non conducit: Ergo &c.

§. II.

Solvuntur objectiones.

93. **O**bjicies primò: Scientiæ acquisite seu naturales non fuerunt per accidens infusae Christo, sed propriis actibus eas acquisivit, ut docet S. Thomas, infra quæst. 12. art. 2. Ergo similiter debuit propriis actibus acquirere virtutes morales naturales, & per se acquiribiles, non verò eas per infusionem à Deo immediatè recipere.

94. Respondeo, concessio Antecedente, negando consequentiam, & paritatem, ob duplicem rationem discriminis, quæ inter scientias & virtutes acquiras seu naturales reperitur. Prima est, quia scientiæ naturales non reddunt subiectum bonum simpliciter, sed tantum secundum quid, ac proinde ex illarum carentia non constituitur non bonum simpliciter in aliquo ordine; ex quo ulterius fit, non plus derogari perfectioni Christi per carentiam scientiarum naturalium ad tempus, quam ei accrescat ex connaturali illarum acquisitione; cuius oppositum in virtutibus acquiras contingit, ut ex supra dictis constat.

Secunda ratio discriminis est, quia si scientiæ per se acquiribiles fuissent humanitati Christi per accidens infusae à primo instanti suæ conceptionis, intellectus agens animæ Christi perpetuò mansisset privatus suo proprio munere & officio, quod est abstrahere species intelligibiles à sensibilibus, illustrando phantasmata, ut docent Philosophi in libris de Anima: erat autem magnum inconveniens, quod aliqua potentia maneret in anima Christi perpetuò privata actu proprio & sibi connaturali. Ex hoc verò quod Christus receperit per infusionem omnes virtutes morales à primo instanti suæ conceptionis, non sequitur synderesim, vel aliam potentiam animæ Christi, fuisse in eo otiosam, & perpetuò privatam suo proprio munere: quia potentia animæ Christi, virtutibus illis semel informatæ, actus ejusdem speciei circa materias virtutum moralium produxerunt, quos per virtutes morales à se comparatas elicissent.

95. Dices, Voluntas humanitatis Christi habet vim naturalem acquisitivam virtutum: Sed si virtutes omnes habuisset ab initio infusas, redderetur ista potentia frustranea, cum nunquam reduceretur in actum acquirendi virtutes: Ergo sequeretur idem inconveniens, ac si omnes scien-

tia naturales per accidens illi fuissent infusae. Respondeo distinguendo Majorem: Voluntas humanitatis Christi habet vim naturalem acquisitivam virtutem, per se primo ad talem actum ordinatam, & per actum distinctum ab actu virtuoso & honesto, nego Majorem, Non per se primo ordinatam, & per actum indistinctum concedo Majorem, & concessio Minori, nego Consequentiam. Non inconveniens in infusione specierum, seu scientiarum naturalium, consistit in eo quod intellectus agens, cuius actus actus quatus, & ad quem primario ordinatur, est specierum abstractio, à tali actu perpetuò suspendi maneret: in parte autem appetitiva non daretur potentia quæ per se primo ordinetur ad acquisitionem virtutum, sed eadem voluntatis potentia est volitiva primario, & ex vi actuum volendi, est secundario acquiriva virtutum, si in subiecto non præexistant: unde ex eo quod in actum virtutum acquisitionem nunquam promittat, non sequitur potentiam aliquam appetitivam, actu sibi adequatam, & ad quem primario ordinatur, perpetuò privatam existere, sed tantum aliquo sui ad us exercitio secundario.

Objicies secundò: Perfectius & nobilius est habere virtutes acquiras à se, quam illas habere ab alio: Sed Christo debemus tribuere quod nobilius & perfectius est: Ergo non habuit virtutes morales infusas à Deo, sed à se acquiras. Minor constat, Major verò sic ostenditur, Agere est quid perfectius quam pati: Sed habere virtutes acquiras à se, est agere: habere autem illas ab alio, est passivè comparari ad illas: Ergo perfectius est habere virtutes à se, quam habere illas infusas ab alio.

Respondeo Majorem veram esse, si cetera paria sint, secus autem si paritas non servetur, ut in præsentis contingit, nam habere virtutes comparatas à se, importat carentiam illarum per aliquod tempus, ex quo sequitur, humanitatem Christi fuisse alio tempore non bonam simpliciter bonitate morali ordinis naturalis: quod magis derogat dignitati Christi, quam ei accrescat ex acquisitione virtutum: & ideo melius fuit Christo illas habere infusas ab extrinseco, nunquam illis carendo, quam eas per proprios actus acquirere, cum carentia illarum per aliquod tempus. Solutio est D. Thomæ infra quæst. 1. art. 3. in corp. ubi sic discurret: Habere aliquod donum per se, est nobilius quam habere illud per aliud, semper enim causa quæ est per se, prior est eâ quæ est per aliud.... Quia autem omnis perfectio & nobilitas Christo est attribuenda, consequens est quod ipse per meritum habuerit illud quod alii per meritum habent, nisi sit tale quod ejus carentia magis dignitati Christi & perfectioni præjudicet, quam per meritum accrescat. Unde nec gratiam, nec scientiam, nec beatitudinem animæ, nec divinitatem meruit: quia cum meritum non sit nisi ejus quod nondum habetur, oportet quod Christus aliquando ista caruisset, quod magis diminuit dignitatem Christi, quam augere meritum.

Dices, Melius fuit Christo gloriâ corporis per aliquod tempus carere, illam obtinendo per meritum, quam illam habere à principio sine proprio merito: Ergo pariter melius esset Christo, virtutes morales propriis actibus acquirere, eis carendo per aliquod tempus, quam illas habere per infusionem à principio conceptionis.

Sed nego consequentiam & paritatem, Christo